



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Locus ab etymologia. Cap. XXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

ter etiā Hieremias propheta probat in solo Deo gloriam-  
dum, enumeratis rebus, in quibus homines gloriari solet:  
Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, & nō glo-  
rietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in  
dunitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire &  
nō sse me, quia ego sum Dominus. Versans Ecclesiasticus  
orator in illa questione, quae est maximi momenti, & sapè  
tractanda, mortem nō esse extimescendam, hoc vii pote-  
rit argumento: Nec naturalem, nec violentam, nec glo-  
riosam, nec ignominiosam mortem sancti martyres, &  
tocius sanctitatis author Christus, vt patri obtemperaret,  
fugiendam putauit; nulla igitur mors extimescenda est.

## Locus ab etymologia.

Cap. XXIX.

**A**b etymologia, hoc est, à notatione, orator Eccle-  
siasticus argumentum ducet: nam cùm rerum ap-  
pellationes partim à natura profectae sint, partim lege &  
consensu hominum confirmatae, aliquæ Spiritu sancto di-  
ctante impositæ, singulæ res suis proprijs nominibus ita  
sunt affectæ, vt earum vis & natura, vocabulis ipsis ali-  
quo modo declaretur. Quarè optima ratione ab eo no-  
mine, quo res quæque prædicta sit, argumentum interdum  
sumitur. S. Hieronymus scribens ad Heliodorum mona-  
chum, hoc argumento sic est usus: Interpretare, inquit,  
nomen monachi, hoc est, nomen tuum, quid facis in tur-  
ba, qui solus es? Ex hoc loco sapè verissimam illam sen-  
tentiam confirmare poterit Ecclesiasticus orator, Piorum  
hominum esse, singulis diebus sanctissimo Missæ sacrificio  
interesse, quia Missa, quasi transmissa dicitur, propterea  
quod

quod populus fidelis mysterio Sacerdotis, qui, Christi personam gerens, munere deprecatoris inter Deum & hominem fungitur, preces, supplicationes, ac vota omnipotenti transmittit. Missa etiam appellatur, quia significat Christum, qui missus est a patre in hunc mundum, vel Angelum, qui mittitur, ut per eius manus hostia offeratur in sublime altare Domini. Quarè ab eo loco sumere poterit multa argumenta, quibus populum horietur ad Missas singulis diebus audiendas, & dicat illos, qui frequenter solent eidem sacrificio interesse, rectè educatos, clementes Deum, & bona existimationis esse consueuisse: illudq; cōsequi solere, ut eo die, quo p̄y homines sacris interfuerunt, in negotijs, in quibus versantur, maiorem animi moderationem, atque etiam aequitatem præseferant, quasi à Christo, cuius sacratissimam passionem recoluerunt, adiuii.

Locus à coniugatis. Cap. XXX.

**S**E Q V V N T V R ea, quæ rem contingunt, in quibus sunt coniugata, quæ ab uno orta, varie commutātur, quorum usus est frequens: Si Christiani sumus, Christianè viuamus. Esaias ita hoc argumento usus est, Fatuus fatua loquetur. & S. Paulus: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo cœlestis: sicut igitur portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis.

Loci à Genere & Specie.

Cap. XXXI.

**A**RGMEN TV M à genere, est illud apud Ioannem Apostolū: Omnis qui peccatum facit, ini-  
quita-